

ac¹ minime valuit, donec, facto mane, propitiante Deo et intercedente beato Remigio, in monasterium² vocabulo Bercetum, in honore sancti Abundii martyris² constructum, missam celebraret; ibique partem praedictarum³ reliquiarum sancti Remigii venerabiliter collocans, post demum coeptum iter aggressus est⁴ Leobrandum regem Italorum virum strenuum. Nam idem rex praedictarum virtutem reliquiarum iam compertam habens, amore beati Remigii idem monasterium Bercetum cum omnibus adiacentiis omniue abbatia, 800 scilicet mansa continentia⁵, praefato Moderanno⁶ episcopo tradendo delegavit eique in praesentia fidelium suorum secundum legalem morem vestituram et cartam⁷ fecit. Remeante vero ab urbe Roma memorato praesule, venit ante sepulchrum beati Remigii, ubi ipse sacratissimo quiescit corpore, atque, sicut illi praedictus rex illam terram donando tradidit, ita nichilominus eidem sancto contulit. Et in suo prospere revertens episcopo, successorem sibi destinatum ordinari fecit, sicque suis filiis valefaciens, Bercetum monasterium petiit et usque ad diem obitus sui in illo loco moderate et honorabiliter, sicut servus Dei, conversatus⁸ fuit. Unde et usque hodie vocatur ille locus ad Sanctum Moderannum. Cuius loci canonicus nomine Radoinus⁹ processu temporis amore beati Remigii in Franciam veniens, in suo monasterio monachus est effectus et pro sua probitate usque¹⁰ ad extremum vitae honorem praepositurae adeptus.

1) om. 2 a. b. 2) 'monasterio v. B. ('Berceto' 2 b) — A. m. Christi constructo' 2 a. b. 3) 'rel. pr.' 2 a, corr. 4) 'Cumque perveniret ad monasterium in ipsius montis fastigio situm atque in honore sancti Benedicti dedicatum, reperit ibidem' add. 2 a. b, om. 1, neque Flod. ea legisse videtur. 5) 'continente' 2 b. 6) 'Moderanno' 2 a, ut infra. 7) 'tam' pr. m. in loco raso 1. 8) 'conservatus' 2 b. 9) 'Rodoinus' 1, corr. 10) 'u. ad e. vitae' om. 2 a. b.
